

DE
DIGITALI PURPUREA

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU

UNIVERSITATIS CAESAREAE LITERARUM
MOSQUENSIS

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE,

LEGITIME CONSEQUENDO, CONSCRIBSIT

ATQUE IN

UNIVERSITATE LITTERARUM CAESAREA
DORPATENSIS,

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IOANNES SCHYCHOWSKY,

KALUGENSIS,

MEDICUS PRIMI ORDINIS ET OBSTETRICATOR.

.....
DORPATI LIVONORUM.

TYPIS J. G. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCXXIX.



I m p r i m a t u r

sub conditione, ut simulac typis excusa fuerit haec
dissertatio, quinque ejus exempla collegio explorandis
libris constituto tradantur.

Dorpati Livonorum die xxiii. mens. Jun. MDCCCXXXI.

Dr. Fridericus Erdmann,
h. t. Ord. Med. Decanus.

D 16692

Quum jam paratas pagellas inspexerim, nova er-
roneo modo impressa, post omnem ex mea parte adhi-
bitam curam, iterum iterumque irrepsisse, inveni,
ideoque lectorem benevolam rogatum esse volo, ut
prius quam perlegat opusculum, secundum hanc ante-
positam indicationem eadem corrigat.

pag. 1	lin. 3	a parte superiori,	loco disertationis,	legendum est disertationis
—	—	5	—	infer. — Mediorum — Medi-
—	—	2	—	4 — Auctores — Auctores,
—	—	3	—	1 — Pars botanica — Pars
—	—	4	—	2 — scrophularinearum —
—	—	4	—	5 a parte inferiori
—	—	6	—	4 — Illustrationes — Illus-
—	—	8	—	— Jussieu — Jussieu.
—	—	7	—	3 — Linné — Linné
—	—	20	—	— 595 — 283
—	—	12	—	— Ditt — Dict.
—	—	9	—	4 — Bauhini — Bauhini
—	—	10	—	15 — S. lutea — D. lutea,
—	—	10	—	3 — rosencych — rosencych,
—	—	11	—	6 — super pedunculis — pedun-
—	—	12	—	7 — Digitales — Digitalis
—	—	—	—	infer. — graeciae — Graeciae
—	—	12	—	— λευκος — λευκος
—	—	14	—	1 — (Ecluisius) — (Cluisius)
—	—	15	—	20 — Ecluisius — Cluisius

— 21 — 13 — — —	super.	— ei — et
— 22 — 4 — — —	infer.	— caucaso — Caucaso
— 27 — 4 — — —	—	— perfect — perfecte
— 28 — 2 — — —	super.	— frigida — frigida
— 36 — 8 — — —	—	— liquoris — liquoris
— 37 — 3 — — —	infer.	— dituli — diluti
— 40 — 10 — — —	super.	— ad initio — ab initio
— 41 — 18 — — —	—	— dectissimi — doctis- simi
— 42 — 10 — — —	infer.	— aedem — eadem
— 43 — 4 — — —	—	— Traitéé — Traité
— 44 — 11 — — —	—	— sequenibus — sequen- tibus
— 49 — 12 — — —	super.	— haemorrhagiis — hae- morrhagiis
— 51 — 10 — — —	—	— Digitatem — Digitalem
— — 8 — — —	infer.	— scrophulolus — scro- phulosus
— 54 — 7 — — —	—	— elapis — elapsis
— 55 — 19 — — —	—	— necessarium — ne- cessarium
— 57 — 3 — — —	—	— Fraitéé — Traité
— 58 — 7 — — —	super.	— salutiferus — salu- tifer
— — 11 — — —	infer.	— hcc — hoc
— 59 — 17 — — —	—	— purpurea — purpureae
— 61 — 7 — — —	—	— tenuissime — tenuis- sime
— 64 — 2 — — —	super.	— es — est.

Praefatio.

Arduum sane et viribus tironis vix perficiendum laborem suscepisse videbor illis, qui inspecto titulo hujus disertationis — me non publici commodi studio commotum, sed literariae tantummodo perquam fragilis gloriolae cupidine ductum censeant. Etenim quum indagacioni Digitalis purpureae, tam celebrati imprimis inter Anglos medicamenti, tot et tanti Viri indefessos et non inanes dicarint labores, respectu botanico, chemico et therapeutico, me propria experientia fere destitutum, certe nihil novi prolaturum quis non videat? Adest tamen laudanda voluntas! Quin quid in scriptoribus de gravissimo hoc argumento fide digni, quid falsi aut nimii reperiatur eruere, aliqua saltim ratione controversias componere atque recentissimorum Mediorum opiniones, servata via ac ratione enarrare conabor.

Itaque ut quantum fieri potest ejusdem argumenti molestiae evitentur iterationes, dicenda tribus partibus exponam: in priore *botanica*: dege-

nere Digitalis, atque praemissis notis, quae nonnullis hujus generis speciebus sunt peculiare, quas medicabilibus pollere viribus quidam asserunt Auctores, aequae atque aliarum quibuscum hae confundi solent, praecipue agam in specie de Digitali purpurea; Secunda pars, pharmaceutica nuncupanda, explicabit tum analyses a variis institutis Auctoribus, tum partium constituentium proprietates, tum praeparatorum pharmaceuticorum modum atque diversam variationem; tertia denique — therapeutica, primo vim ejus in organismum animale considerabit, dein variorum Medicorum in variis morbis — Digitalis purpureae usus recenset, simul fide digniores recentissimorum practitorum observationes indicabit.

Quid in hoc labore sustinuerint humeri, quid recusarint ferre, docti videant, atque tironis conatus benigne respiciant!

Pars botanica.

Non amplum genus plantarum, Digitalis nomine (Наперстникъ, Doigtier, Fingerhut) primum a Leonardo Fuchs *) propter cotillae formam, digiti in arte sutoria munimentum referentis, ita denominatum, pertinet systematis sexualis Linnaei ad classem XIV. Didynamiam puta et ordinem secundum, id est Angiospermiam a); Methodi vero naturalis ad classem VIII. Mo-

*) Natus Vembdingae in Suabia anno 1501. Opus reliquit de historia stirpium - Basileae 1542 in folio. Digitalis purpureae No. 893. Digitalis luteae No. 894. descriptiones exhibet. Vid. Sprengel's Geschichte der Botanik I. Thl. S. 262. et 267.

a) Caroli Linnaei, Systema Vegetabilium editio decima sexta, curante Curtio Sprengel. Gottinae 1825. Vol. II. pag. 787.

noptetaliam hypocorolliam, ad familiam VII. Scrophularinearum. a)

Cum autem considerationi vegetabilium Methodo naturali, nostris temporibus unanimi Botanicorum consensu, prae omnibus arte exstructis systematibus palma tribuatur, quippe quae intimam cujusvis plantae naturam investigat, non abs re fore putavi characteres hujus familiae naturalis breviter praemittere. Hi vero sunt:

Calyx divisus, saepe persistens. Corolla saepe irregularis limbo diviso. Stamina saepe quatuor didyama, rarius duo. Stylus unicus, stigma simplex aut bilobum. Fructus capsularis, apice aut penitus bivalvis; valvis (raro bipartitis) intus nudis, concavis; receptaculo (placenta) centrali ad ambitum marginato, utrinque seminfero, dissepimenti vicem supplente et valvis parallelo, seu earundem marginibus circumapposito. Semina saepe numerosa et minuta, albuminosa; Embryo inclusus, rectus, radícula umbilicum spectante. b)

Digitalem huic familiae adjudicant characteres ipsius cum illis totius familiae congruentes; minus validus character — foliorum sparsa positio, vix ad hujus ab angiospermis separationem sufficiens mihi videtur, cum Luridis Linnaei, Solanaceis auctorum adnumerare hanc, ut opinabatur

a) Ant. Lanr. de Jussieu Genera plantarum 1 vol. in 8 Paris 1789 edit. Uster. in 8 Turici 1791. p. 132.

b) Rob Brown Prodrum Florae Novae Hollandiae etc. Lond. 1810. Vol. 1. pag. 133.

sagacissimus Botanicus legislator a), Stamina quinti constans abortio et corollae structura magis forsitan vetant.

Digitalem igitur Verbasco caeterum valde affinem, transitum potius ab altera familia ad alteram constituere puto.

Characterem naturalem generis Digitalis exprimunt:

Calyx — perianthium quinque-partitum, inaequale, laciniis subrotundis, acutis, persistentibus, suprema caeteris angustiore.

Corolla gamopetala, campanulata: tubo magno, patente, deorsum ventricoso: basi subcylindracea, coarctata. Limbus oblique quadridus, magnitudine a septima vel octava tubi parte ad hujus tertiam partem in nonnullis speciebus auctus, inaequalis: lacinia superiore patentiore, emarginata, infima majore.

Stamina: filamenta quatuor subulata, basi corollae inserta, declinata, duo reliquis longiora; antherae bipartitae, cruribus acuminatis. Rudimentum staminis quinti vix conspicuum.

Pistillum: germen acuminatum; stylus simplex, situ staminum, stigma acutum, simplex, aut bilamellatum.

Pericarpium: Capsula ovata, longitudine calycis, acuminata, bilocularis, bivalvis, val-

a) Caroli a Linné Praelectiones in ordines naturales plantarum edit. P. D. Gieseke. Hamburg 1792 in 8 pag. 384.

vis bifariam rumpentibus, dissepimentum duplicatum e marginibus valvularum inflexis. Semina plurima parva. a)

Specierum hujus generis numerus ad viginti novem hodie auctus exhibetur in praestantissimo opere Celeberrimi Sprengelii, quarum major pars Europae indigenae sunt, nonnullae asiaticae, quatuor, quarum dubia patria est, duae denique insularum Canariensium et Maderae incolae. Omnes herbaceae sunt, praeter Canariensem et Digitalem Sceptrum, quarum caulis lignosus est. Omnium rami et folia sparsa sunt, inflorescentia spicato-racemosa.

Etiamsi non defuerat mihi occasio, plures ad sicca specimina examinandi penitusque hic describendi, tamen quum propositum laboris non botanica Monographia sit, quam nonnulli jam laudabiliter exhibuere b), non nisi illas hic exponam, quarum medicae virtutes plus minusve laudari solent; hae omnes europaeae sunt, quae sequuntur:

- a) Corollae ventricosae labio superiori transverso

1. *Digitalis purpurea* foliis oblongis crenatis ru-

- a) Linné Genera plantarum edit VIII, cur I. C. D. Schreber No. 1017. Ant. Laur. de lussicu Genera plantarum pag. 135.

Lamarck Tableau encyclopedique et methodique des trois regnes de la nature etc. continué par J. L. M. Poiret. Illustrationes des genres Tom. III. Paris 1823 pag. 80. tab. 526.

- b) Lindley (Jo.) Digitalium Monographia, Lond. 1821. fol. Elmiger vid infra.

gosis pubescentibus, pedunculis rectis calyces aequantibus, laciniis calycis ovato oblongis. Curt. Sprengel Syst. veget. Vol. 2. pag. 787.

Bluff et Fingerhuth Compend. Flor Germ. T. 11. p. 71.

Lindl. Monogr. dig. tab. 11.

Diesbach Handb. d. medicin - pharm. Bot. p. 265.

Dumont-cours Botan. cultiv. 2 edit. vol. III. p. 119.

Ait. Hort. Kew. 2 edit. IV. 28.

Persoon Synops. plantar. vol. 2. p. 162.

Willden. Spec. plant. Linn. ed. IV. T. III. p. 595.

Graumüller Hdb. d. med. pharm. Bot. III. 526.

Dietrich Lexic. III. 642.

Hoffm. Flora german. p. 266.

Roth Flora german. T. 1. p. 266. T. II. pars 2. p. 59.

Houttuyn Linn. Pfl. Syst. 8. p. 106.

Pollich. Palat. n 598.

Miller Diit. No. 1.

Haller Helvet. n. 330. (D. foliis calycinis ovatis, galea integra).

Dalib. Flora Paris. p. 192.

Linné Hort. Upsal. p. 178.

Gorter Fl. gelr. p. 371.

Roy. Lugd. Batav. p. 292.

Tournefort. Instit. rei herbariae t. 73. 1 pag. 165.

Linué Hort. Clifffort. p. 318.

C. Bauh. Pin. 245. (D. purpurea folio aspero.)

Knorr. Delic. 1. T. fig. 10.
Tragi Stirp. hist. 889. (Campanula sylvestris).

β. Varietas flore albo.

Digitalis alba folio aspero C. Bauh. Pin 229.

Vaillant. Botan. Paris. p. 80.

Knorr. Deliciae 1. T. fig. 9.

Haec praecipue in Britannia ex longo tempore empirice contra morbos hydropicos a rusticis usitata, dein a plurimis doctis Medicis propius investigata, vi medica eximia praedita est, de quo tanquam principali dissertationis argumento, postea fusius dicitur.

Confundi cum ista solet

- 2) *Digitalis Thapsi* — foliis oblongis crenatis rugosis undulatis decurrentibus nudiusculis, caule superne villosa, pedunculis arcuatis calyces multo superantibus, laciniis calycis lanceolatis. Hispania. Sprengell. c. p. 787. La Marck Dict. encyclop. Vol. 11. p. 279. (D. decurrense) a) Linn Mill. dict. No. 2. (D. foliis decurrentibus) b) Barrel. I. 1185. D. Verbasci folio, purpurea minor, perennis hispanica.) c).

- a) Monet de la Marck (Jean Bapt.) Dictionnaire encyclopedique methodique. Botanique 4. vol. in 4 Paris 1789 — 1796.
b) Miller (Philipp.) Dictionnaire des jardiniers 8 vol. in 4, Paris 1785.
c) Barrelier (Jacobus) Plantae per Galliam, Hispaniam et Italiam observatae — opus posthumum ed. a Bern. Jussieu 1. Vol. fol. Parisiis 1714.

Tournef. 165. (D. Hispanica purpurea minor.)
Boccon. Mus. 2. t. 85. (D. angusto Verbasci folio montana) a).

Hanc in opere Matthioli sub nomine Baccharis (538) descriptam agnoscit celeberr. Sprengel (b). Digitalis purpurea ab hac distinguenda est: foliis utrinque pubescentibus, nec nudiusculis, pedunculisque rectis, nec calyce longioribus, calycis quoque laciniis ovato — oblongis, nec lanceolatis — ac inferioris corollae labii lobo medio non adeo obtusato; hanc praeterea primo aspectu distinguunt folia decurrentia. Vires non dum indagatae.

3. *Digitalis ochroleuca* Jacq. D. foliis ovato — ellipticis venosis denticulatis cauleque viscido villosiusculis, pedunculis calyce subbrevioribus, laciniis lanceolatis, corollae lobis brevissimis obtusis. Germania. Sprengel. l. c. p. 787.
Reichenbach icon. rar. Gent. 11. p. 51. tab. 160.
Lindley Monogr. p. 14. n. 5. tab. VIII.
Jundz. Opis. rosl. Litew. ed altera p. 189. (Naparstnik rdzawo zółty.) c)

- a) Boccone (Paolo) Museo di Pianta rare della Sicilia, Malta, Corsica, Italia, Piemonte e Germania 1. vol. 4. Venetia 1679.
b) Sprengel Historia rei Herbariae Tom. 1. p. 341. (Amsterd. 1807.) citatur liber: Opera Matthioli edit C. Bauchini Basileae 1674. in fol.
c) Opisanie roslin Litewskich według ukladu Linneusza — przez X. B. S. Jundzilla Professora Botaniki w Wilnie 1811. in 8.

Persoon Synops plant. 11. p. 163.
 Borkh. in Rhein Mag. 21.
 Iacq. Florae Austriacae icon. T. 57. vol. 1.

- D. ambigua Presl Flor. Cech. p. 127. (N. Blinowitz) a).
 Baumgart. Enum. Stirp. Trans. Vol. 2. p. 212. b.)
 Willd. Spec. Vol. III. p. 255.
 Nocca Ticin. 1. p. 303.
 Iundzill opis rosl. W. X. L. p. 323. (N. zólty) c).
 Lin fil. supplem. p. 280.
 Iacq. Hort. Vindob. 1. tab. 59.
 Murray Syst. veget. p. 470
 Pona Bald. p. 173.
 Haller Helvet. No. 258. (D. lutea.)
 Tournef I. 165. (D. lutea magno flore.)
 I. Bauhin. 2. p. 813. (S. lutea, flore majore, folio latiore.)
 Tabernaemont. Eic. 567. (D. lutea.)

Huic similes ac Digitali purpureae adscribuntur

-
- a) Flora Cechica, indicatis medicinalibus, oeconomicis, technologicis plantis, auctoribus D. Ioanne Swatopluko Presl et D. Carolo Boriwogo Presl—Pragae 1819. 1. vol. in 8.
 b) Enumeratio stirpium in magno Principatu Transsylvanicae auct. Ioanne Christ. Cottlob Baumgarten—Vindobonae 1816. 3 vol in 8.
 c) Opisanie roslin w Prowincyi W. X. L. naturalnie rosngcych, wedlug ukl'adu Linneusza, przez X. B. S. Iundzilla S. P. w Wilnie 1793. 1. vol. in 8.

vires. (a) Similibus gaudere viribus a medicis et haec censeatur, quae nunc peculiarem speciem constituit

4. *Digitalis grandiflora* Lam. foliis lanceolatis serrulatis nervoso-venosis pubescentibus, pedunculis calyces aequantibus laciniisque linearibus villosis, corollae reticulatae pubescentis labio superiore praemorso, inferioris laciniis ovatis. Europa media. Spreng. lib. c. p. 789.
 Bluff et Fingerh. Compend. Flor. germ. Vol. 2. p. 72.
 Lindley Dig. Monogr. n. 4. p. 13. t. VII. (D. ambigua).
 Reichenb. icon rar. Cent 11. p. 50. t. 159.
 Gmelin Fl. Badensis Alsat. 11. 105 (D. ambigua Linn.)
 Sturm Deutschl. Fl. I. 11, tab XIV. 2. (D. ambigua).
 Allioni Fl. Pedem. n. 258.
 La Marck. Flor. Franc 1, p. 387. (D. à grands fleurs)
 Pollich Hist. plant. in Palat. n. 599. (D. lutea.)

Ne has duas confundas species, respice: folia latiora in praecedenti, viscido-villosiuscula, pedunculos calyce breviores, nec eundem aequantes,

-
- a) Flora Veronensis, quam in Prodromum Florae Italicae septentrionalis exhibet Cyrus Pollinius III, Vol in 8 cum tab. aen. Veronae 1822- vid Vol. 2. p. 328.

laciniisque calycinas lanceolatas, nec lineares, nec villosas, lobos quoque labii corollae inferioris in hac magis, quam in illa productos.

b). Corollae subventricosae, lobo medio labii inferioris porrecto, tubum subaequante:

5. *Digitales ferruginea* caule stricto foliisque lanceolatis elongatis subintegerrimis laevibus, racemi elongati pedunculis confertis, laciniis calycis obtusis margine scariosis, corollae labio inferiori porrecto obtuso villosa. Italia, Caucasus — Spreng. l. c. p. 788.

Persoon Synops. plant. II. p. 162.

Willden. Spec. plant. ed. IV. Tom III. p. 286.

Diction. encycloped. T. II. p. 280.

Tournef. Inst. 166. (D. latifolia flore ferruginea.)

Lobel Stirp. advers I. p. 573. (a)

Ἐλλέβορος λευκός Dioscoridi secundum opinionem clar. Sibthorp, non assentiente Dr. Smith. Καρχαρόλον hodiernis graecis (b) Icon Fl. graec. tab. 600. Lindl. Monogr. T. XII.

Habitat praeter indicatas regiones, in Parnasso, aliisque graeciae montibus; frequens eti-

am in monte Bithyno. Respectu ad medicinarum habito — *Digitalis purpureae* surrogatum dici potest.

6. *Digitalis laevigata* Kit. caule stricto foliisque lanceolatis elongatis denticulatis laevibus, floralibus linearibus, racemi elongati pedunculis remotis abbreviatis, laciniis calycis lanceolatis acutis, corollae labio inferiore ovato porrecto supra piloso. Croatia.

Sprengel l. c. p. 787.

Persoon synops. plant, Vol. II. p. 163.

Waldst. et Kitaib. Plant. rar. Hung. 2. p. 171. t. 158 (a)

Habitat in rupestribus calcareis Croatiae. Media est inter *Digitalem lanatam* et obscuram. Corolla calyce duplo longior, ferruginei coloris, sub anthesi tota flavescens, striis venisque fusco-purpureis picta (Persoon) Testante Brera, efficacius remedium praestat, quam ipsa *D. purpurea*. b)

Ad hanc distinguendam juvat nosse characteres specierum affinium quae sequuntur:

7. *Digitalis lanata* Ehrh. spica pyramidata, densa lanata, bracteis calyce longioribus laciniisque lanceolatis, corollae labio inferiore porrecto oblongo obtuso.

a) Lobelius (Matthias) Stirpium nova adversaria prima pars Lond. 1570 fol. altera pars Lond. 1605 fol.

b) Sibthorp (Joh.) et Smith (J. E.) Florae Graecae Prodrromus 2 Vol. 8 Lond. 1806; 11 1815 et 1816. vid. Vo. 1. p. 439.

a) Waldstein (Franc.) et Kitaibel (Paul) Descriptiones et icones plantarum rariorum Hungariae 3. vol. in 101. Viennae 1. 1802. 11. 1805; III. 1812.

b) Richard. Medizinische Botanik aus d. franz. übersetzt d. Kunze und Kummer 2 Th. in 8 Berlin 1824. vid. Th. 1. S. 375.

Hungaria, Transilvania, Sicilia. Sprengel. l. c. p. 788.

Lindl. Monogr. tab. 15.

Baumgart. Enum. strip. V. II. p. 212.

Persoon l. c. p. 163.

Roth. Cathal. Bot. I. pag. 71. (D. Winterlii.)

Winterl. ind. h. Pest.

Buxbaum Cent. V. p. 25. tab. 49.

c) Corollae labio superiore bifido.

8. *Digitalis obscura*. Caule suffruticoso, foliis lineari-lanceolatis integerrimis basi adnatis, racemo paucifloro, secundo, laciniis calycis ovatis, corollae reticulatae lobis obtusis recurvis. Hispania. Sprengel. l. c. p. 788.

Lindl. Monogr. tab. 26.

Persoon l. c. p. 163.

Jacq. hort. Vind. I. p. 40. tab. 91.

Boccon. Museo 2. p. 136. tab. 98.

Duae tamen ultimae quod ad medicas earum virtutes spectat, non dum exploratae. Nunc propius *Digitalem purpuream* consideremus.

I.

Nomen.

Utrum veteribus Botanicis *Digitalis purpurea* nota fuerit non clare constat: Eam nonnulli a Dioscoride sub nomine *βαλκχαρις* (Eclusius) vel

ΐΦημερον (Fabius Columna) descriptam esse contendunt a), attamen celeberrimus Sprengel nomine *βαλκχαρις* eum *Gnaphalium sanguineum* designasse credit; *ΐΦημερον* autem *Colchicum autumnale* apud Theophrastum et in *Alexipharmaco* a Schneidero (Halae 1792.) edito significare testatur, et apud Dioscoridem *Ornithogalum stachioides* b); Plinium etiam sub nomine *Calatinae violae* hanc descripsisse credit Eclusius, alii vero jam *Verbascum Plinii*, jam alterum genus *Alismatis* *Digitalem* nostram esse statuunt c) Nostro tempore hanc per omnes Europae regiones tum sua sponte crescentem, tum hortis cultam, familiariter notam esse ipsa nomina vernacula docent:

Rossice: Наперстянка, наперстникъ красный или пурпуровый 1) Наперстокъ 2)
Germanice: Der purpurrothe Fingerhut, der

a) Dictionnaire des Sciences medicales tom IX. Paris 1818. p. 454.

b) Historia rei herbariae Tom. I. p. 169.

c) Dict. des scienc. med. lib. cit. p. 454.

1) Щегловъ: Хозяйственная Ботаника, заключающая въ себѣ описаніе и изображеніе полезныхъ и вредныхъ для человека растѣній. С. Петербургъ 1826. Тетрадь VIII. стр. 56.

2) Мартыновъ Техноботаническій словарь С. Пб. 1820 стр. 202.

gemeine Fingerhut, Waldglöcken, Waldscheller 1)

Gallice: La Digitale pourprée, Gant de notre Dame, Gantelée 2)

Italice: Guantelli, Gantelli, Aralda 3)

Hispanice: Digital, o Campanilla.

Lusitanice: Digital, Digitello, La Dedaleira.

Anglice: The purple Foxglove, the Fingerherb 4)

Belgice: paursch Vingerhoed, Vingerhoedkruit 5)

Danice: Fingerbölle: 6)

Svecice: Fingerbor.

Norvegice: Fingerbot.

Polonice: Paluszniczek, Naparstnik ezerwony, purpurowy 7)

Bohemice: Naprstnik cerweny. 8)

1) Getreue Darstellung und Beschreibung der in der Arzneykunde gebräuchlichen Gewächse etc. v. Fried. Gottl. Hayne. Berl. 1 B. 1805 p. 45.

2) Dumont—Cours. Bot. Cultiv. l. c. p. 119.

3) Pharmacopoea Batava ed. Niemann Leips. 1811. Vol. I. p. 113.

4) Smith Flora Britannica.

5) Pharmac. Bat. p. 113.

6) ibid.

7) Jundzill. opis. rosl.

8) Flora Cechica.

II.

Descriptio.

Digitalis purpurea planta herbacea est, omnibus fere Botanicis consentientibus, biennis (♂), testante vero Pollinio, nonnunquam perennis (24); radicem habet dense fibrillosam in externa parte brunneam, albidam in interna, — quā altero vegetationis anno exsurgit Caulis erectus, strictus, simplex, duos ad tres, imo quatuor (in cultis) pedes altus, a calamo scriptorio ad pollicem in diametro prope radicem crassus, ad apicem sensim extenuatus, teres, scaber, coloris e fusco viridis rubescentis, inferne dense foliosus. Folia habet radicalia pedem et ultra longa, palmum lata, longe petiolata petiolis marginatis subulatis; caulina sensim minora breviusque petiolata, superiora fere sessilia, omnia sparsa, ovato-vel oblongo-lanceolata, acuminata, margine rotundatocrenata, undulata, superne fusco-viridia, rugosa, infra pallidiora aliquantum aspera, penninervia, reticulato-venosa, costa mediā valde prominente, utrinque pubescentia. Inflorescentia gaudet racemoso-spicata, racemo denso, simplici, terminali, longitudine pedis et ultra, erecto, apice subinclinato, pyramidalis, secundo. Flores sparsi sunt, inferiores unum pollicem longi, lon-

giusque pedicellati et bracteati, ad apicem rachis successive se omnibus suis partibus evolventes, nutantes, purpurei, seu in varietate albi; pedunculi ex axilla folii sessilis, parvi, lanceolati bracteam simulantis emergentes, sparsi, solitarii, teretes, pubescentes, recurvati. Calyx persistens, gamosepalus, quinquepartitus, laciniis ovatis, acuminatis, patulis, demum recurvis. Corolla gamopetala, irregulariter campanulata: tubo magno, postrorsum vel deorsum ventricosum, ad basin coarctato, recurvo; fauce angustata, intus pilosiuscula et maculis, flavo halone circumdatis, ocellatis, variegata; limbo quadrifido: laciniis inaequalibus, obtusis, superiore patentiore, integra aut subemarginata, horizontaliter reclinata, inferiore maiore subtriangulari, sub anthesi imbricatis. Stamina quatuor didynama, fundo corollae inserta: filamentis duobus brevioribus-interioribus vel superioribus, duobus longioribus-exterioribus vel lateralibus, corollae laciniis oppositis, subulatis declinatis, antheris inclinatis, basi adnexis, bilobis: lobis ovoideis crassiusculis, acuminatis, divaricatis. Pistillum germine supero, ovato, acuminato, stylo tereti, simplici, staminum longitudinem superante, marcescente; stigmatibus acuminatis, simplici aut subbilobo. Fructus est capsula ovata, acuminata, calyce persistente involucreta, bivalvis, valvarum introflexione dissepimentum duplex formante, bilocularis.

Valvae, ad marginem placentarum introflexae, dissepimentum imperfectum efficiunt, aut incompletum, atque in centro capsulae spatium pyramidis tetragonae instar relinquunt,

quod impletur prolongatione tori placentiferi — parenchymate, vasisque nutritibus constantis; haec tori prolongatio, valvularum interstitium memoratum explens dissepimentumque reddens perfectum, in utrumque loculum capsulae laminae emittit parenchymatosas, crassiusculas, dissepimentum cruciatim decussantes, quarum margines in diaphyses abeunt sub horizontali sectione semilunares, sensu vero perpendiculari placentis conformes, valvulis parallelas, placentis figmentum atque probabiliter seminibus organon nutritionis intermedium praestantes a). Placentae vero sunt cordatae,

- a) Haec partes accuratius disquirere conatus sum, primo, cum maximae in organismo vegetabili sint auctoritatis, postea quia ab optimis quoque Auctoribus hucusque nondum exacte descriptae et delineatae fuerint; nam et accuratissimus caeterum fructuum investigator — Gaertner, cujus auctoritati confidere aliis non minus dignis viris non indecens videbatur, ipse, inquam, Gaertner, receptaculum hinc convexum, inde concavum, lamina integerrima cum axi fructus, „non autem cum dissepimento connatum esse“ minus recte dicit et tab. LIII, sui operis explicat. De aliis quid dicam? Fructus autem perfecte maturi saepissime valvularum mutuo connexu rumpuntur, non vero in dimidia sua ut indicat sulcus externus et linea prominens interna, in qualibet valvula capsulae conspicua, et tunc illa tori lamina simul rumpi solet. Dein et maceratione in aqua, marginis valvulae inflexi ad placentae marginem usque non interrup-

acuminatae, compressoconicae, secundum longitudinem sulco intermedio notatae, fungosae, poris annulo glanduloso circumdatis, semina parva, eaque numerosissima gestantes.

Semen magnitudine dimidii grani papaverini, subparallelepipedum, subangulatum, angulis obtusatis, altera facie, situ seminis superiore, sulco longitudinali notatum, perispermio reticulato-plicato praeditum, cui inest: embryo rectus, albuminosus, minimus, cotyledonibus semicylindricis, radícula incrassata conspicuus.

III.

Monstrositas.

Praeter varietatem, quae nullis characteribus a genuina Digitali purpurea differt nisi florum colore albo, mentione hoc in loco haud indigna mihi videtur Digitalis purpurea heptandra, cujus descriptionem communicat D. Adelb. de Chamisso, in qua, flores albi, corolla partim in stamina metamorphosata, ovarium, Sty-

tam continuationem facillimo observare contingit negotio. Confer Gaertner (Josephus) de fructibus et seminibus plantarum Lipsiae 1801 — 1805. IV. vol in 4. Vol. 1 pag. 247. tab. LIII. et Poiret opus supra citat. tom. III. p. 80 tab. 525.

„lus et stamina fere ut in statu normali, ovulis tamen non foecundatis; stamina numero septem, quarum quatuor structurae consuetae majoribus calycis laciniis opposita, tria superflua, cum iisdem alternantia — originem e corollae laciniis ducentia; corollae lacinia superior petaloidea, minori sepalo opposita, nunc bilabiata, stylumque obtgens ut in statu normali, nunc bifida, divisionibus dentatis, aliquando vero in alas binas, laterales angustas contracta, et ligulam setaceam intermediam. Auctor exponit dein varias huiusce abnormitatis variationes, ei figuris explicat. a)

IV.

Patria, solum, tempus florendi etc.

Digitalis purpurea Europae imprimis meridionalis indigena est; reperitur spontanea in plu-

-
- a) Bulletin universel des Sciences et de l'industrie — publié sous la direction de Mr. le B. de Ferrussac No. 6. Juin 1827, pag. 251. accuratam huiusce deformitatis descriptionem vid. in opere sub titulo: Linnaea, ein Journal für die Botanik in ihrem ganzen Umfange. Herausgegeben v. Dr. F. L. v. Schlechtendal, Berlin 1826. 1 B. p. 571. et tab. VI.

rimis regionibus Germaniae, in Anglia, Gallia praecipue in regione circa Moguntinum a), in Helvetia etc. b) Frequens in solo aprico, arenoso, montoso, ad vias, sylvarum versuras, in agris.

Floret Junio usque ad mensem Augustum, semen maturescit Augusto et Septembre, facili disseminatione spontaneâ se propagat.

Propter usum medicum in hortis pharmaceuticis colitur, ob florum formam peculiarem et pulchritudinem etiam in hortis delectationi inservientibus non neglecta!

a) Dict. des sciences medic. lib. c. p. 455.

b) In patriae nostrae temperatioribus regionibus eandem indigenam spontaneamque reddi posse probat proventus illius in Gubernio Grodnensi, ubi a Gilibert fuit reperta, testante Jundzillio; quod imprimis in Guberniis: Poltavensi fieri posse mihi videtur, ubi constans temperatumque clima et loca elatiora ad ripam dextram fluminis Psjol dicti, ad hanc alendam maxime idonea mihi sunt visa, — Charkowiensi, cujus solum sabulosum, siccum et clima priori proximum etiam bonum Digitali praestarent domicilium, nec sylvarum versurae in australioribus regionibus Gubernii Tschernigoviensis hoc denegarent, cum non procul abinde in Lithuania proveniat eadem vid. Jundz. opis rosl. ed. altera 1811, p. 189. Item in caucaso et Georgia Digitalem ferrugineam alentibus Vid. Marsch. a Bieberstein. Flora Taurico — caucasica. Tom II. pag. 80. no. 1213.

V.

Diagnosis a similibus.

A similibus ejusdem generis plantis vel familiâ non adeo diversis, quibuscum non raro imperitiâ Digitalis purpurea confundebatur, distinguunt: a) a speciebus affinibus, characteres supra expositi; b) a Verbasco Thapso, cui demum corolla, Digitalem simillimam esse ipse dixit Linnaeus (1), folia non tomentosa et inodora ut in Verbasco, sed tenere pubescentiâ, digitisque fricata foetentia, porro quod crassiora sint eadem in Verbasco et tactu molliora, colore albescente seu-griseo-viridia. c) a Symphyto vero, quocum non nisi rudis ignorantia, praesertim corollis praesentibus confunderet Digitalem 2) satis superque distinguitur eadem foliorum asperitudine in Symphyto subcartilaginea et marginè integerrimo; caulis altitudine quinquepedali non raro et ultra et tandem inflorescentiae modo — spicarum secundarum ante anthesin spirae instar revolutarum.

Plus minusve accuratas imagines Digitalis purpureae videre potes in sequentibus operibus — incipiendo a recentioribus:

1) Praelectiones in ordines naturales p. 384.

2) Hayne opus supra citat. Vol. 1. p. 46.

Щегловъ Хозяйств. Бот. Ч. II. отдѣл. II.
табл. IX.

Lindley Monographia Digitalium tab. II.
Flore du Dictionnaire des sciences medicales
liv. 40. pl. 151.

Hayne Getr. Darstell. Vol. I. tab. 45.

Buillard. herb. t. 21.

Florae Danicae tab. 74.

Knorr. del. tom. I. f. 10. et. D. alba fig. 9.

Kniphoff etsy. cent. 3. no. 37.

Blackwell Herb. tab. 16.

Rivin tab. 104.

Dodon. Pemptad. 168.

De hac uberius disseruere: praeter Lindley:

Elmiger (Joh.) Histoire naturelle et medicale des
Digitales in 4 Montpellier 1812.

Bidault de Williers Essai sur les proprietes me-
dicales de Digitale pourpree III. edit. Paris
1812.

Sanders An inquiry on Foxglove — Edinburg
1808 et gallice:

Marat Essai sur la Digitale pourpree par Sanders
etc. Paris 1812.

Withering (Will.) Account of the Foxglove I. vol.
8. Birmingham 1785. et germanice:

— Abhandlung vom rothen Fingerhut und des-
sen Anwendung in der Heilkunde, aus dem
Engl. übers. von Michaelis. Leipz 1799.

Schiemann Chr. de Digitali ejusque usu disser-
tatio inauguralis. Gottingae 1786. in 4.

VI.

Proprietates.

Tota planta in statu naturali sponte crescens,
recens odorem non adeo fortem spargit ingratum
(quem perperam negant auctores nonnulli,) cu-
jus — rei certum indicium est, quod fugiant her-
bam insecta et intactam relinquunt quadrupedes.
a) Odorem hunc, non a vero aberrans, adscribas
peculiari principio amaro, acri, nauseoso, cu-
jus tamen modus secundum diversam soli natu-
ram et varias partium ipsius plantae diversarum
proprietates, variat; minor hujus quantitas in cul-
tis quam in spontaneis, minor in his, quae hu-
midioribus declivioribusque locis proveniunt,
quam in locis siccis calori solis expositis; minor
hujus acris principii copia est in radice, quam
in floribus plantae vel in ipsis seminibus, maxima
vero in foliis. Huic peculiari extractivo princi-
pio, de quo in sequenti parte fusius dicemus, vi-
res medicas plantae adscribere Auctores non du-
bitarunt, nempe motum cordis et vasorum sangui-
ferorum majorum compescendi, capillarium au-
tem et lymphaticorum vasorum activitatem sollici-

a) Vid: Histoire philosophique, litteraire et econo-
mique des plantes de l'Europe, par I. L. Poi-
ret IV. vol, in 8. Paris 1825. vol. IV. pag. 379.

tandi vel augendi; hinc vires sedativas, solventes et hydragogas. Incaute tamen assumpta herba, drasticorum instar agere visa fuit, inflammationem nimirum faucium et aesophagi producendo, excitando vomitum et diarrhoeam et symptomata nervosa, nonnunquam exitialia.

Pars pharmaceutica.

I.

Collectio et servatio.

Quum notum sit, ut antea monuimus, Digitalis vim medicam foliis imprimis insitam esse, hinc et jam pridem haec sola a Pharmacopoliis colligi et usui servari consueverunt (a). Dum vero ipse vult colligere eadem Pharmacopola, vel, ut saepius accidit, ab aliis emere collectoribus, bene attendat necesse est: a) ut sint speciei genuinae, quem ad finem probe teneat notas supra allatas, quibus ab affinis vel similibus tantum et prorsus inefficacibus plantis validum medicamen distinguere possit, dein b) ut sint folia juniora, sana vegeta. Certe tamen conscientia quisque probus medicamentorum dispensator, obligari debet, nemini in hac planta colligenda, quam sibi ipsi confidere. Ipsi enim, ut viro erudito, curae esse debet, legere medicamentosa folia de speciminibus secundam vitae aetatem agentibus,

a) Dictionnaire des decouvertes en France 1789 à la fin de 1820. Tom V. pag. 17.

quod radicem earum attente examinando, foliorumque anni praecedentis lapsu, exortas cicatrices in caudice intermedio observando, facili discernet negotio. Legat autem eadem de speciminibus solo elevato, arenoso, sicco, radiis solaribus abunde alio, laete ac in pleno vigore crescentibus; de speciminibus ad florescentiae statum propinquis, vel statim hac inita, et quidem non nisi folia viridiora, succiplena et sana, talibus enim major inest vis medicabilis. Eligat ad hoc negotium Junii mensis vel ex primis Julii diem serenam — et quidem post lapsam pluviam, non primam, sed tertiam vel secundam, ut sit solum plane siccatum, ne nimis aquosam herbam colligat, et quidem medio die ut neque roris ulla maneant vestigia. Si cultae plantae folia, loco sponte provenientium venditantur, odoris ratio et procerior vegetiorque habitus fraudem evincunt.

Folia ita studiose collecta, citissime siccantur oportet, in umbra, ne a radiis solaribus viridis color extinguatur, loco sicco, ventilato, vel et artificiali calefactione adhibita, in hypocausto, non arcte inter se conferta, sed vel fasciculatim in fasciculis minoribus, vel una serie acus ope filo tracto suspensa. Siccari vero non ad summum siccitatis gradum debent, sed dummodo facile possent suo tempore in pulverem cum saccharo vel alio vehiculo idoneo contereri. Serventur vasis vitreis, bene obturatis, loco perfectissimo et quidem non ultra annum unum, ne viribus spoliata vel saltim corrupta dispensentur. — Ideoque nova quotannis colligenda sunt.

II.

Chemicae analyses.

- A) Infusum aqua frigida paratum cum herba Digitalis purpureae
- a) instillatis aliquot guttis solutionis ferri sulphurici nigra redditur;
 - b) Solutione sulphatis cupri turbatur et lactescit;
 - c) Zinci sulphurici solutione turbulenta evadit absque tamen coloris mutatione.

Infusum aqua bulliente paratum eadem offert proprietates, gradu tantummodo intensiore, quod imprimis de adstringente principio valet, nam ferro sulphurico atro-nigrum evadit.

- B) Tinctura-aceto concentrato parata — odorem proprium spargit valde penetrantem, sapore gaudet admodum amaro, nauseoso, colore *flavescenti-nigro*.
- C) Spiritu vini rectificatissimo obtinetur tinctura coloris intense viridis, valde amara, acris et nauseosa, in qua nullum sedimentum ab aqua adfusa exoritur.
- D) Extractum D. p. aquosum, quod et spiritu vini facile solvitur, brunnei coloris est et saporem habet valde amarum atque nauseosum.
- E) Aqua herbae D. p. superinfusa atque destillata
1. Ostendit nonnulla signa acidi praesentis.

2. fere inodora est et pauca salium vestigia offert.
3. Solutioni mercurii sublimati corrosivi non reagit.
4. Cum acidis mineralibus et vegetabilibus, nullam init effervescentiam, succos vegetabiles violaceos parum rubefacit.
5. Ab oleo empyreumatico saturatius coloratur.
6. Vestigia salis alcalini exhibet.

Eaedem fere proprietates in Digitali ferruginea animadversae sunt a Mat. Br. Maaties a), ista cum differentia, quod decoctum ejus, principio volatili eximie narcotico scatet, quod omnia narcotismi symptomata in ipsomet et praesentibus summo in gradu produxit.

Analyses et Destouchii, anno 1809 b) et Bidauld de Villiers anno 1812 c) partes constitutivas analogas praestitere ut et

Rein et Haase d) qui ex 100 partibus herbae siccatae obtinuerunt:

-
- a) Zierikea Zelandi Specimen medicum inaugurale de Digitali ferruginea 1804. 60 p. 8. vid. Tromsdorff Journ. der Pharmacie, Band. 16, Leipz. 1808. p. 245 — 262.
 - b) Bulletin de Pharmacie Mars 1809 pag. 123 Tromsdorff. Journ. d. Pharm. B. 18. Leipz. 1809. erstes Stück p. 419. Dictionnaire des decouvertes t. V. p. 17.
 - c) Essai sur les propriétés medicales etc. p. 61.
 - d) Dr. Guillelm Andr. Haase Dissertatio de Digitali purpurea in universum ejusque usu in morbis potissimum cutis Lips. 1812. p. 7 — 12.

- 0,52. principii fibrini cum parva quantitate albuminis.
 0,15. substantiae gummoso-mucilaginosae cum pauca quantitate potassae carbonicae et tartaricae.
 0,02. potassae oxalicae.
 0,05½ substantiae resinosa (chlorophylli, melius chromulae dicendae.)
 0,15. principii saponacei (extractivi.)
 0,05½ aquae odoris herbacei.
 0,05 — dissipatae.
-
100. summa,

Substantia resinosa, cui color et sapor foliorum debetur, et quae pariter in aethere ac in oleis aetheris et alcohole, non autem in aqua solubilis est, consistentiam linimenti spissioris habet, inflammabilis est et cum fuligine flagrat. Huic proprietates medicas Haase adscribere non dubitabat atque alcaloidum inde eliminari posse aliis alcaloidis vegetabilum non absimile, jam supponebat, quod autem cl. le Royer e principio saponaceo aqua et aethere pariter solubili a) obtinere contigit.

- a) *Bibliothèque universelle des sciences* No. Jun. 1824.
Dictionnaire des Drogues simples et composées, ou dictionnaire d'histoire naturelle, de Pharmacologie et de chimie pharmaceutique par A. Chevallier et par A. — Richard. Paris 1827. Tom II. p. 279.
Buchner's Inbegriff der Pharmacie III. Th. I. B. S. 667.
Repertorium der organischen Chemie v. M. Gustav. Fechner Leipzig 1827. I. B. II. Abth. S. 484.

Analysis ipsius ratio haec est:

Libra foliorum D. p. siccatorem successive in frigido et calido tractabatur aethere sulphurico in vase, ollae Papinianae non absimili, autoclavo, et liquores filtrati flavescenti-viridi colore et valde amaro sapore praediti, quum ad consistentiam extracti evaporati fuerint, residuum aspectum resinosum offerebat, ab aëris humiditate deliquescebat et tam intolerabilis fuit amaritudinis ut linguam degustantem torpidam redderet. Hoc in aqua destillata parum dissolvebatur, partim fundum petebat, praecipitatumque omnes characteres chlorophylli (chromulae) exhibebat. Aquosa solutio chartam coeruleam (Helianthi) rubefaciebat, (certum indicium acidi inhaerentis, quod oxydo hydrato plumbi, basibusque terreis et alcalinis sales efficiebat). Parte hujus itaque plumbi oxydo tractata et ad siccitatem evaporata, denuo aetheris ope principium amarum obtentum fuit, quod subsequente evaporatione materiam brunneam, piceam praestitit, quae propter vim herbae Dig. p. propriam, et quia chartam acido rubefactam etiamsi debiliter, denuo caeruleam reddebat (difficilem hujusce principii crystallisationem summamque deliquescentiam non respiciens) alcaloidis illud adnumerare atque peculiari sub nomine Digitalinae, publici juris facere non dubitavit.

Tandem cl. Pauquis coquendo folia D. p. in aqua, acido sulphurico nonnihil perfusa, et inspissatum hoc decoctum ebullitioni cum magnesia calcinata submitiendo, hanc secum principium alcalinum traxisse existimat et residuo refrigerato atque bene abluto, quum actioni alcoholis recti-

ficati illud submisisset et liquorem filtratum ad tres quartas partes inspissasset, hunc liquorem sedimentum deposuisse asserit — corpus — colore albo, inodorum, acri sapore, acicularum tenuissimarum sub forma crystallisatum, alcohole et aethere, non vero aqua solubile, et cujus alcalinam proprietatem, solutionis illius alcoholicae in chartam violaceam vis, teste auctore indubiam reddit.

Etsi nova experimenta circa hoc alcaloidum a cl. Dulong d'Astfort instituta a), consentientibus Chevalliero et Richardio b) huic principio crystallisandi proprietatem, alcalinamque naturam denegare videntur c), quod ulterioribus chemicorum experimentis problema adhuc manet solvendum; attamen quum hoc principium plantae vires concentratas in se gerere compertum sit, et organismo vivo animali experimentis comprobatum a) sub nomine Digitalinae in materiam medicam jure meritoque recipiendum atque jam recep-

a) Journal de chimie medicale Vol II. pag 94 et 558.

b) Dict. des Drogues vol. cit. pag 281.

c) Doctor Prevost instillata laminae vitreae guttula solutionis alcoholicae Digitalinae, et evaporata eadem ope spiritus vini, sub microscopio ducenties augente, animadvertit numerosas, bene expressas variaeque formae crystallos, quarum forma princeps — prisma rectum, basibus rhomboideis esse videbatur. Vid. Magendie Formulaire pour la préparation et l'emploi des plusieurs nouveaux medicamens ed. 6me Paris. 1827. pag. 297—298. — a) ibid. p. 298—299. Buchners l. c. p. 667. Fechner lib. cit. p. 484.

tum puto. Etenim quum et anni et plantae ipsius aetatis vario tempore, collecta folia D. p. non parem vim exserere compertum habeamus, quò et solum et crescendi modus consideranda sunt, hoc principium semper optimum erit in morborum casibus, usum Digitalis exposcentibus, medicamen, a dosi minima valide agens et ad fortissimam actionem usque, aequabilem vim gradatim augens.

III.

Praeparata pharmaceutica.

Longe procul ab illa sum opinione ac si principia medicamentosa in statu contracto obtenta, aliarum praeparationum pharmaceuticarum usum nullum, vel superfluum redderent, nulla enim arte humana tam salutiferam incitantis principii cum blando mucilagine, vel saccharo, vim medicaminis moderante, mixtionem fieri, ut in ple-risque vegetabilium succis vel partibus integris crudis, ab ipsa natura factum est, nemo, spero, inficiabitur.

Itaque praeparatorum quoque pharmaceuticorum, quae nunc in usu sunt, series secundum agendi vim plus minusve fortem, exponenda est. a)

a) Pharmacologische Tabellen, oder Systematische Arzneimittellehre in tabellarischer Form, von Gotthelf Wilhelm Schwarze, Leipz. 1822, in fol. II. Band I. Abschnitt, pag. 134 — 138.

1. Pulvis herbae D. p. primum obtinet locum, tum quia forma omnium simplicissima atque maxime sit usualis, tum ob agendi quoque rationem arte non modificatam. (ergo et ad observationes instituendas forsitan omnibus praefendus). E foliis, anno non diutius et bene servatis, remotis costis et nervis eorum validioribus, trituratione cum saccharo vel alia substantia parandus pulvis, principium amarum et specificum, Digitalinam nempe, cum aliis salinis etc. vim ejus moderantibus, in proportione naturali continet. A grⁱ/₂ — j — jj. caute exhibendus est; nam propter immediatam particularum suarum ventriculi parietibus adhaesionem, successivamque vis suae evolutionem, incitationem tractus intestinalis prae reliquis praeparatis omnibus diutius promovet; ideoque dosis nonnisi bis in die repedenda et usus non diu continuandus est, alias primarum viarum debilitatem (indirectam) aliaque molesta symptomata supermanere observatum est.

2. Infusum herbae D. p. a quosum paratur e drachmis duabus ad semunciam herbae siccatae cum aquae bullientis unciis octo cum additione syrupi cujusdam et aquae aromatiacae. Interne per cochlearia mensalia ter, quater de die exhibetur. Propter contentas in solutione partes plantae activas, absque nocivis pulveris sequelis saepissime praescribi solet.

3. Decoctum D. p. ex drachmis duabus vel semuncia herbae cum aquae fontanae libra ad remanentiam unciarum octo, vel secundum methodum Schlegelii, ex unciis duabus herbae cum aquae unciis sedecim ad dimidii remanentiam pa-

ratum, principium activum cum resinosis particulis simul extrahit; ergo magis activum est remedium — ideoque cautius per cochlear dimidium omni quinta vel sexta hora exhibendum. Saepius in clysmatibus et ablutionibus externe usurpatur.

4. Tinctura D. p. simplex ex herbae siccatae unciis duabus cum spiritus vini rectificatissimi unciis octo et aquae simplicis unciis quatuor, vel ex herbae recentis unciis quatuor et alcoholis unciis quinque, vel denique ex herbae siccatae uncia dimidia cum spiritus vini unciis sex digestionem per hebdomadis tempus paratur. Plusquam decoctum resinosis abundat particulis et propter qualitates spiritus fugaciter activas et excitantes, magis in chronicis morbis, quam in acutis, hominibus lymphatici vel frigidi temperamenti convenit. A guttis 10 — 20. vel 30, bis terve in die exhibenda est. Cum utilitate huic substitui potest:

5. Tinctura D. p. Harlesii semispirituosa ex unciis duabus herbae D. p. siccatae cum spiritus vini rectificatissimi unciis tribus et totidem aquae cinnamomi, per quadriduum in calido digerendis paranda, ad guttas 15 — 20 — 25 quavis quinta vel sexta hora porrigenda est. Celeberr Sprenkel hanc tincturam pro optimo habet praeparato. a)

a) Лѣкарственникъ или фармакологія — перев. А. Іовскимъ Москва 1820 года стр. 294

6. Tinctura D. p. aetherea ad normam Pharmacopoeae Borussicae ex herbae siccatae uncia una cum aetheris sulphurici unciis octo paranda — praecedenti similiter agere censetur et non absimili etiam modo exhiberi solet.

7. Tinctura D. p. ammoniaco — acetica a Remerio proposita a) ex herbae drahma una cum uncia una liquoris ammonii acetici parata, vel ex uncia una herbae in liquoris ammonii acetici unciis sex per viginti quatuor horas digesta, in iis casibus ubi methodus diaphoretica indicatur adhibenda est ad guttas X — XL quovis bihorio b.)

8. Extractum D. p. e succo expresso per evaporationem paratum, cui melius nomen succi inspissati conveniret, et quod a grani parte dimidia ad integrum, imo duo grana porrigendum suadent nonnulli, incertam atque non semper aequalem portionem activi principii continere videtur, hinc externo usui potius relinquendum est, ad unguenta etc. tempore hiemali paranda; interne autem melius est huic Digitalinam methodo Royerii paratam substituendam tentare, cautiissime tamen ad $\frac{1}{12}$, $\frac{1}{15}$, $\frac{1}{8}$ grani partem bis de die, cum hujus granum unum et semis in aquae destillatae uncia dimidia solutum — in venam canis

a) Bischoff, die Lehre von den chemischen Heilmitteln etc. Bonn 1826. Band II S. 148.

b) Sundelin Handbuch der speciellen Heilmittellehre 11. Ausgabe Berlin 1827 I. Band S. 524.

mediae magnitudinis injectum lethalem effectum exserere visum est. a)

9. Unguentum D. p. ex herbae recentis libra una cum axungiae porci libris duabus proba mixtione paratur et postea partis aquosae ad lenem ignem evaporatione, vel incorporatione succi herbae recentis unciis unius axungiae unciis octo, vel tandem ex herbae siccatae in pulverem tenuissimum redactae uncia una ad axungiae libram unam probe admixtae — optima sunt remedia externa in casibus indicatis — ad drachmam unam ad duas bis de die infricanda.

10. Syrupus seu oxysaccharum D. p. ex uncia una foliorum siccatorum, aceti vini destillati unciis octo per diem digerendorum a Martio paratur admixtione sacchari albi unciis duodecim in colatura solvendis. A guttis 5 — 10 — 40. porrigi potest; optimum est praeparatum in illis casibus ubi narcotica remedii vis moderanda est.

11. Acetum D. p. seu tinctura D. p. acetica secundum Nasse per analogiam cum acetosquillitico, ex herbae uncia una cum aceti vini libra una digestionem paratur. Etiam bonum est praeparatum.

Pharmacopoea castrensis Ruthena sequentia eaque optima exhibet praeparata Digitalis purpureae:

1. Tinctura D. p. simplex — ex foliorum D. p. recentium uncia una cum alcoholis tituli un-

a) Journal für Chemie und Physik u. s. w., herausgegeben v. Dr. J. S. C. Schweiger, 42. B. Heft 1

ciis octo per hebdomadem digesta, cujus gtt. 15 — 20 grano pulveris herbae aequivalent, vel ex foliorum siccatorum in pulverem crassum redactorum uncia una cum alcoholis diluti unciis quinque etiam digestionem per septimanam paranda, quae a guttis viginti ad nonaginta — ad exhibendum commendatur et praecedenti fortior est.

2. Tinctura D. p. composita — ex foliorum siccatorum drachmis sex, radice scillae maritimae recens siccatae drachmis quatuor, in aetheris nitrici alcoholisati unciis octo maceratis et per hebdomadem sub temperatura frigida digestis parata. Haec in hydropibus fini diuretico melius quam omnes praecedentes respondet, a guttis decem ad quadraginta sensim ascendendo — exhibenda.

3. Pilulae D. p. R. Pulveris folior. Dig. p. scrupulum, Gummiresinae Ferulae As-sae foetidae (Alcoholis diluti ope ad aptam molliem redactae) vel Rob juniperi communis, vel extracti amari quantum satis ut fiat massa in pilulas viginti aequales dividenda. Dos. Pilula (duae) bis terve de die. Eodem usui adaequatum praeparatum et ob simplicitatem suam valde commendandum.

Pars therapeutica.

I.

De actione Digitalis purpureae in organismum humanum.

Vacillans non dudum in Pharmacopoeis remedium, a longo tempore alternatim cum plausibus receptum vel explosum et rejectum et dein iterum laudibus elatum a) nunc jam firmiter stabilitum — Digitalis purpurea — ad medicamenta *καλίστοχην* activa referri debet. b) Etiam si propter actionem suam in organismum vehementissimam, a Toxicologis haec ut venenum narcotico-acre consideretur c), secundum recentiores vero Artis salutiferae progressus rapidissimos, jure meritoque nomine toxici vel veneni sensu absoluto

-
- a) M. B. I. O. Andreae Murray Apparatus medicaminum, Gottingae 1793. vol. 1. p. 728 — 742.
 b) Hahnemann in Hufelands Journal der practischen Arzneykunde, Jena 1795. II. Band, 4. Stück, p. 498.
 c) Orfila Allgemeine Toxicologie oder Giftkunde etc. mit Zusätzen und Anmerkungen begleitet v. Dr. Sigism. Friedr. Hermbstädt, Berlin 1818 — 1819. IV. Th. in 8. vid. Th. III, p. 288. etc.

prorsus non adhibendo a), ad materiam medicam potius spectat. Etenim medico rationali legum organismi humani earumque secundum quas potentiae externae eundem afficiunt, probe gnaro, vehementia vis remedii nullo modo obstaculum est quominus adhibeat hoc in casu clare indicato.

Digitalem purpuream, ut jam odor herbae inter digitis fricatae stupefaciens et sapor amarus, acris et nauseosus nec non chemicae analyses ejus statim ad initio conjecturare cogunt, in organismum animale adinstar narcotico-acrium agere experimenta quoque in animalibus et observationes in hominibus sanis comprobant. b) Cuti externe applicata jam localiter inflammatoriam irri-tationem producere potest. Ventriculo autem ingesta, in dosi modica, primum appetitus augmentum efficit, dein nauseam et ipsum vomitum; dosi aucta diarrhoeam, nonnunquam cum colicis doloribus conjunctam, salivae et lotii secretiones abundas promovet, quibus adsociantur et narcotismi symptomata: vertigo, visus obnubilus, scintillae apparent rerum alienus color, papilla dilatata anxietas quaedam appropinquantisque mortis

a) П. Иос. Шнейдера о лѣченіи болязней, происходящихъ отъ сильной дѣйствующейхъ средствъ и пр. перевелъ Иванъ Зацепинъ. Москва 1825. Epigraphus claris. Prof. Muchin.

b) Murray l. c. p. 730. Schieman, Dissert. citat. p. 28. seq. Salerne in Histoire de l'Academie des sciences de Paris 1748. p. 84.

tumor ac similia, denique omnia symptomata narcoticis acribus agentibus communia; et quod ad humores attinet, peculiari hoc ratione evenit ut eorum modus non solum mutetur, sed etiam plane inversus esse videatur, quum enim ab altera parte cordis et vasorum majorum motus compescantur, et quod inde sequitur pulsuum quod ad vim et numerum spectet, deminutio ad 30 ictus in temporis minuto primo (Kreysig) usque ad eorum extinctionem appareat, ab altera parte vasorum capillarum aequae ac lymphaticorum vis augetur, cujus rei sudores, lotii augmentum, saepissimeque ipsae haemorrhagiae testes tibi erunt. Quae actio Digitalis per 5 — 6 dies exhibitae, plurimum hebdomadam decursu sese ostendere non desinit (Kreysig). At hi sunt mediati virium digitalis effectus. Quod autem ad proximum ipsius agendi modum spectat, eruditae doctissimi Bischoffii theoriae a) non plane assensus, duas hic partes cum clar Vogtio b) distinguendas esse existimo: dynamicam nempe narcoticam vim in systema sensiferum et chemico-dynamicam, revulsivam in canalem alimentarium, quarum utraque simul ad unicum effectum producendum a quo omnes eventus pendent, facere videtur: vim nimirum systematis nervorum et imprimis vitae organicae dicatorem exaltandam et quidem extremitate eorum periferica magis quam centrali, ubi ef-

a) lib. supra cit. pag. 148 — 149.

b) Dr. Ph. Fr. Vogt Lehrbuch der Pharmacodynamik, Gießen 1821. I. B. pag. 15.

fectus quasi transitorius tantummodo observatur, unde pulsus ab initio tantum incitatus et acceleratus nec non alia incitationis symptomata facile explicari possunt. Diutius vero remedio agente, nervea vis omnium organicarum functionum reatrix in extremitate sua centrali opprimi videtur, unde narcoseos symptomata ab encephalo pendentium functionum in organis sensuum externorum animadvertenda, nempe visus alienatio et caenestheseos imminutio deducenda sunt. Et vitae organicae dicatum systema circulationis - etiam hac ex causa in centro suo, corde scilicet et truncis vasorum arteriosorum majoribus activitatem deminutam exhibet. Quae ambo tamen systemata ad vitae usque halitum ultimum integritatem organismi tuentia, nequaquam hoc in casu inertia dicas; reactionem enim in vasis capillaribus et lymphaticis (quorum activitate exaltata per secretiones excretionisque auctas, heterogeneas atque organismo inimicas particulas expugnari quasi videmus,) salutiferam, quae non absimili modo acin organismis inferioribus, vita altiori silente, magis activa evadit, aedem vi nervea regi, quis repugnet? Contradictorium quasi symptoma, quod in enteritidenimirum - intensioris gradus inflammatione — pulsus etiam non ad februm morem excitatus et fortis, sed oppressus et deminutus appareat, etiam nonnisi lege gravissima ad organismi servationem a summo Numine instituta — reactione scilicet in organis affectis explicari potest; Non absimili modo agit Digitalis purpurea, canalem alimentarem irritans.

II.

Regulae generales in exhibenda Digitali observandae.

Hinc patet remedium hoc nonnisi ventriculo sano nec jam irritato cum utili effectu ingeri posse; etenim novam irritationem praesenti jam additam effectum saluti contrarium edituram tenendum est. Ita per se nullius momenti evadere censentur assertiones medicorum de pulsus constanti augmento, quippe qui legem hanc sacram non observasse videntur. a)

Cavendum etiam ne Digitalis praesente plethora, sanguinis orgasmo et subjectis supra modum irritabilibus exhibeatur. Convenit in primis temperamento lymphatico, olim phlegmatico dicto, habitui corporis et diatesi morbosae scrophulosae nuncupatae et quidem constitutione corporis torpida praeditis, ubi nervorum extrema peripherica minori receptivitate respondent. b)

a) Begin Traité de Therapeutique redigée d'après les principes de la nouvelle doctrine médicale, Paris 1825, tom II. p. 709.

c) Vogt l. cit. p. 25.

III.

Specialis Digitalis in curandis morbis adhibendae consideratio.

Ex supra dictis liquet Digitalem nonnisi in illis morbis adhibendam esse ubi 1) materiei heterogeneae stagnatio causam proximam sistit, ubi ergo systema vasorum ad hujus elaborationem et corpori assimilationem, vel ut nocivae e corpore eliminationem dicatur suscitari debet, systema nempe vasorum absorbentium et organa secretoria, quo respectu specialiter viscera uropoëtica veniunt; 2) ubi abnormis activitas cordis et vasorum majorum, laticem vitalem impellentium sedanda est; denique 3) ubi systematis sensiferi morbi a materiali aliqua causa pendent, derivando sanandi sunt.

In sequentibus morborum formis indicatam Digitalem purpuream legimus apud auctores: 1) in febre continua, 2) febribus exanthematicis, praecipue in morbillis et scarlatina, 3) in inflammationibus et imptimis in pneumonia; 4) in morbis mentis, 5) in aliis morbis nervosis, uti epilepsia, hydrophobia, amaurosi et hemicrania; 6) in morbis pectoris; 7) in haemoptysi et ceteris haemorrhagiis activis; 8) in morbis hecticis et phthisicis, 9) in morbis systematis lymphatici, 10) in scirrho, cancro, caeterisque ulceribus malignis;

11) in hepatephraxi et exinde orto ictero, 12) in hydropibus et praecipue hydrothorace; 13) in arthritide; 14) in eruptionibus herpeticis, 15) in aneurismatibus internis—palliativum, 16) in dolorificis herniarum incarcerationibus—palliativum. (1)

Quantum fidei hisce assertionibus tribuendum sit, sigillatim — et breviter, ut limites operculi permittent, perspiciamus.

1. Febris continua. In hac a) tunicae internae arteriarum inflammationem adesse celeberr. Frank testatur *); ergo et levior primaria harum suscitatio a Digitali orta, incendium magis augere, quam extinguere potest; b) Semper plus minusve conspicua plethora, etiamsi praemittendis venaesectionibus deminuere hanc suadeant remedii laudatores, vix non validam contraindicationem offerre mihi videtur; denique c) canalis alimentarii affectio simultanea, autopsiis cadaverum numerosissimis probata, hujus remedii usum plane excludit. Praeterea si levaminis alicujus a Digitali sub finem morbi exhibita, speciem observare licet, ut et mihi hanc exhibenti, videre licuit, levamen hoc aliis quoque simul cum Digitali exhibitis remediis adscribendum est. Sub finem tamen pyrexiae ad secretionem urinae criticam

(1) Lexicon medicum theoretico-practicum reale, oder allgemeines Wörterbuch der gesammten theoretischen und practischen Heilkunde etc., bearbeitet von D. August Friedrich Hecker, Gothae 1818. II. Band. II. Abtheil. S. 841. u. s. w.

*) Frank J. Petrus Epitome de curandis hominum morbis Vol. I. pag. 187.

adjuvandam, si quis cum mucilaginosi et leviter aromatici eam exhiberet, theoriae non repugnare videtur.

Quod febres intermittentes spectat, in abnormi vasorum arteriosorum activitate, febrilem dispositionem sustentante, nec non locales periculi plenas sanguinis congestiones producente, Digitalem rationaliter adhiberi posse animadvertit Sundelin, exemplumque citat pertinacissimae febris intermittens, hujus ope a Graffenauero curatae a) et se ipsum hac bono cum successu usum esse in febriculis rheumaticis ad sudores symptomaticos nimis profusos cohibendos.

2. Febres exanthematicae: Morbilli, Scarlatina. In his tanquam systema lymphaticum praecipue afficientibus, ultimo stadio, sic dicto stadio convalescentiae, si haec anomaliis subjecta procedit, ad praecavendas sequelas horum morborum — Digitalem indicari non nego; usus tamen hujus remedii caute institui debet, ne novam febrem excitet, atque aeger morbo non sufficiens, in majus vergat vitae periculum a remedio, quam ab ipso morbo. b)

a) Sundelin lib. supr. citat. p. 513.

b) Utrum liceat in casu Scarlatinae cum sanguinis ad caput affluxu et delirio taciturno, Digitali uti, ut ait Niemann-infantibus annorum trium ad $gr\frac{x}{4}$ pulveris cum calomelanos gr. j. omni bithorio, se cum felicissimo successu exhibuisse — valde dubito. Vid. Pharmacop. Batav. Vol. I. pag. 114.

3. *Inflammationes praecipue pneumoniae*, — usum Digitalis, donec febris, plus minusve intensa durat, plane excludunt. In inflammationibus exsudativis dicendis, membranas serosas et mucosas afficientibus, hanc indicari non repugno, uti in peritonitide puerperali, in qua externe linimentum ex Digitali paratum commendatur, a) in encephalitide exsudativa — nunquam ad narcotismi symptomata usque — et in angina membranacea cum calomele laudat cl. Sundelin b). Asthenica sanguinis in pulmonibus stagnatio — vel pleurae pulmonalis affectio exsudativa, remedium bonum in Digitali agnoscentes, ut hydropicae dispositiones huc non pertinent.

4. *Morbi mentis*. Horum numero in illis, qui morborum acutorum sequelas potius constituunt, merito laudari et theoria et casus docet a fide dignissimo cl. Schmidtmanio narratus. c) Puer nempe annorum sedecim, „qui ante dimidium annum febrim nervosam (Ataxica an adynamica Pinellii?) laborabat, ab illo tempore inde continua dementia Sauvagesii (Blödsinn.) notatus, ut ipsius venerabilis auctoris verbis utar, „ praeter fatuitatis signa faciem etiam inflatam, pulsum debilem et tardum habens usu decocti herbae Digi-

a) Sundelin lib. cit. pag. 512.

b) ibid. p. 514.

c) Summa observationum medicarum ex praxi clinica triginta annorum depromptarum, auctore Ludovico Josepho Schmidtmanio etc. Berol. 1826. Vol. III. pag. 55 — 56.

talis purpureae e drachmis tribus ad remanentiam unciarum trium parati, addita sesquiuncia tincturae calami aromatici, quovis bihorio per cochlearia mensalia sumpti, adplicatoque ad nucham vesicatorio, inter quatuor nycthemera ad maximam medentis admirationem perfecte resipuit. Nil peculiaris, nisi urinae secretionem auctam in hoc aegro animadvertit auctor. Ab antiquis jam temporibus notum est nauseam in hisce morbis remedio excitatam multum ad sanationem facere, unde tam frequens in illis emeticorum dosi aucta porrectorum provenit usus. Tali sub indicatione remedium derivativo potius scopo praescribi apparet, Digitalem autem hunc ad finem maxime idoneam adscivimus. a) Cavendum tamen, ne herbae usus diu continuatus sub ventriculi incitabilitate, ab initio languescente, absque desiderato manens effectu, b) - posterius in gravissima periculosissimaque erumpat symptomata; de Digitali enim constat, effectum ejus nonnunquam post tres quatuorve dies apparere, ideoque si non interrupte aegro porrigatur, tandem summam horrendo modo agere posse. Caute itaque alternis diebus, vel duobus interpositis porrigendum est hoc remedium.

a) *Practische Bemerkungen über Geistes-Zerrüttung* etc. v. D. J. Mahon Cox, aus d. engl. mit Anmerk. etc. v. Prof. Reit. Halle 1811. p. 133.

b) *Experientia Cox, Fanzago, Nordii Windob.* docuit ingentes doses a mariacis absque ullo nocivo effectu latas fuisse Sund. op. cit. p. 522.

5. In aliis morbis nervosis, uti epilepsia, hydrophobia, amaurosi et hemigrania, hanc derivativo potius sine nonnunquam adhibendam esse concedo — et in illis casibus, ubi sanguinis orgasmus compescendus sit; post praemissas itaque venaesectiones aliaque antiphlogistica indicata.

6. In morbis pectoris! Num igitur specificè cavum thoracis Digitalis tuetur? Quod ad morbos a systematibus vasorum et nervorum pendentes attinet, suo loco hos consideremus.

7. In haemoptysi et ceteris haemorrhagiis activis. In his gravissimorum virorum testimonio utilitatem remedii nostri, Ipecacuanhae juncti comprobant a) nec mirum, si facultatem ejus in systema vasorum humores serosos vehementium excitando agendi, in systema vero circulationis arteriosum, activum vel positivum dicendum, deprimendo, memineris b). Absente tamen vera plethora, et nonnisi praedominante speciali vasorum irritatione erhetistica, usum Digitalis sancivit experientia c). Burmsius ad abortum praecavendum laudat Digitalem, ubi hic a locali sanguinis ad uterum congestione extimescendus est. d)

a) Шпренгель фармакологія, lib. cit. p. 292.

Commendatio clar. Professoris E. I. Muchin.

b) Sundelin opus supra cit. pars 1. pag. 508—514.

c) W. A. Haase. Ueber die Erkenntniß und Kur der chronischen Krankheiten des menschlichen Organismus, Leips. 1820. 11 Band pag. 309 — 310.

d) Sundelin l. c. p. 514.

8. In morbis hecticis et phthisicis; quatenus peculiari systematis arteriosi irritabilitate hasce sustentari constat, utilem esse Digitalem non plane negatur, de hoc tamen fusius infra.

9. Morbi systematis lymphatici per excellentiam activum remedium Digitalem agnoscunt ut jam supra monuimus. Quum autem hujus systematis morbos ad corporis diathesin scrophulosam dictam referre liceat, de his suo loco fusius agemus.

10. In scirrho cancro et ceteris ulceribus malignis. Haec tanquam ad systema lymphaticum spectantia ibidem sunt consideranda.

11. In Hepatempyraxi et exinde orto ictero. Absente febre usus quoque internus, ut medicamenti solventis, indicatur, tutior tamen est externus in forma unguenti, cui mercurialia etiam non inepte admisceri possunt.

12. In hydropibus praecipue pectoris. In hisce morbis specificè quasi Digitalem agere, jam extra dubitationem positum est, qua de re magis infra.

13. In arthritide, nisi casus peculiare excipias, vix commendandus Digitalis usus, isque in combinatione cum remediis aliis.

14. In eruptionibus herpeticis; — quoties in his systema lymphaticum accusandum est, vim Digitalis non refutat experientia, quo respectu praecipue ex infuso herbae lavationes externae notatu dignae.

15. In aneurismatibus internis caute atque prudenti exhibitum, vix non unicum, post venaesectones et dietam strictissimam, palliativum refugium.

16. In herniarum incarcerationibus dolorificis remedium peculiare nullum, quum tot praestantissima sapientia in narcoticis habemus.

Theoria itaque et experientia simul docent Digitatem praecipuo cum fructu quatuor morborum speciebus gravissimis: Scrophulis, Phthisi tuberculosa, Hydropi et Aneurismatibus medendis porrigi; de his itaque ut opusculi limites permittent, paulo uberius agemus.

a) De usu Digitalis purpureae in Scrophulis.

Scrophulae a morbo scrophuloso, duce celeberr. Hufelandio probe distinguendae sunt: priores, oculis sese offerentes glandularum colli etc. tumores et obstructions, saepissime, non nisi morbi ipsius sequelam sistunt, morbus autem scrophulolus perversum statum totius systematis lymphatici pro causa proxima agnoscens, prioribus tantum symptomatibus aliquando manifestatur, tamen et absque illis, ex aliis phaenomenis sese declarat. a)

a) Hufeland über die Natur, Erkenntnis mittel und Heilart der Scrophel - Krankheit, Jena 1797. pag. 4.

Morbo scrophuloso affectis, vitam reproductivam languidam esse et functiones nutritionis abnormes et ipsae animi facultates praemature sese evolventes primo jam docent aspectu, atque prior naturae hujusce morbi indagatio a celeb. Hufelandio facta, docet causam illius proximam positam esse in debilitate systematis lymphatici a) cum peculiari morbose adaucta ejusdem incitabilitate, qua nempe fit:

a) Ut lentius humores, vasis lymphaticis contenti vehantur et inde spissiores evadant b), indolemque sanitati contrariam adipiscantur, qua non inepte peculiaris generis acrimoniam, scrophulosam dictam, derivat celeb. auctor. c)

b) Glandulae, depravata lymphae indole non recte incitatae, spasmodice contrahantur d) et vix perviae reddantur, unde ex mutuo horum in contenta influxu, malum indies crescere non dubitatur.

Curam morbi scrophulosi in radicalem et palliativam seu symptomaticam dividere licet: quid in utroque casu praestet Digitalis, seorsim consideremus, prius vero notabimus morbum scrophulosum, plurium causarum tum praedisponentium, tum occasionalium exstantem conflictu, nulum agnoscere specificum remedium; nec in Digi-

a) l. cit. pag. 64. b) l. c. pag. 103. c) l. c. p. 78 — 90. d) l. cit. pag. 90 — 93.

tali nostra tale polliceri quis credat, etenim ex quinque indicationibus quas ad radicatum sanandum morbum scrophulosum celeb. Hufeland explendas proponit. Digitalis usus nonnisi secundae aliquomodo satisfacit et tertiae satisfaciendae contribuit. Indicationes istae sunt sequentes:

1) Restauranda est regularis et aequalis activitas systematis lymphatici, producenda libera et activa resorptio et denique anomala irritabilitas ejusdem spasmodica, tollenda.

2) Proxima producta morbi — obstructio glandularum et acrimonia scrophulosa ipsius lymphae abolienda sunt. a)

Quum autem notum sit, morbum scrophulosum curam maxima cum cautela instituendam postulare, et imprimis regulis diaeteticis gubernari, liquet remedium nostrum nec promiscue qualibet morbi periodo, aut anni tempore, nec continuo exhibendum; regulae itaque in administranda Digitali hae sunt:

1. Primae viae sint sano in statu nec admodum irritabiles, nec impuritatibus conspurcatae, quae ultimae levioribus purgantibus, ex roborantium tamen genere: ut, Rheo, Jalappa, tollenda sunt.

2) Cura tempore vernali et absente statu febrili suscipienda est.

3) A dosi parva et praeparato debiliore inchoandum est, ex. gr. prius lene infusum aromati-

a) Hufeland lib. cit. pag. 136 — 137.

cis levioribus nuptum omni trihorio cochlearum exhibeatur, → habita ratione aetatis et constitutionis aegrotantis, dein sensim ad decoctum, tincturam, pulverem etc. transeundum; etenim experientia docuit, *Digitalis*, quum parva in dosi non juvet, nec in maximis quidem cum desiderato porrigi effectum. a)

Non continuandus est usus remedii, etiamsi minima in dosi et absque malis ab aegro ferretur symptomatibus, ultra dies quatuordecim, sed intervalla temporis libera intercalanda sunt et organismus propriae, aliis congruis remediis suffulciendae activitati derelinquendus est.

Ne consuetudine inefficax reddatur remedium, praeparata tempore curationis altera alteris substituenda imo aliis congruis remediis jungenda et sub alia saltem forma exhibenda sunt ut:

a) in pilulis exempli gratia:

R. pulveris herbae *Digitalis purpureae* grana tria,
Cremoris tartari,

Nitri depurati,

Radicis *Ireos florentinae* aa gr. β.

Syrupi simplicis q. s. ut fiant e massa pilulae No. iij. quarum capiat aeger unam mane, stomacho jejuno, alteram ante horam prandii et tertiam elapsis post pastum horis quatuor vel quinque. Dosis *Digitalis* in hisce pilulis ad grana XV. usque in die augeri potest, immutata proportione reliquorum ingredientium.

b. In forma unguenti ex succo recenti, vel ex pulvere herbae siccatae, cum sebo, axungia

a) Hufeland. lib. cit. p. 274.

vel butyro insulso, additis pro re nata, mercurialibus et aromaticis, parati, externe praecipue in glandularum indurationibus simul praesentibus, vel eruptionibus retropulsis denuo ad corporis superficiem revecandis.

c. Sub forma lavationis cum infuso, decocto vel aceto *Digitalis purpureae*.

Casus peculiare enumerare, quibus haec vel alia forma medicamenti, hoc vel alio modo exhibitae, magis conveniret, formulasque varias addere nec limites opusculi, permittunt, neque necessarium duco. Ne autem e diutius protracto usu *Digitalis purpureae*, visus obnubilatio imo amauroseos signa, vel ipsa caligo insequantur, meminisse debemus consilium celeb. Hufeland, ut nervina et antispasmodica eidem jungerentur, prout: *Valeriana*, opium, sal volatile cornu cervi, sal succini, castoreum, nec non ut saepius institueretur oculorum ablutio cum vino. a)

Palliativa cura, quovis anni tempore suscipienda, externa praepressis est — et ulcera imprimis spectat.

Habitus corporis cachecticus vel phlegmaticus, morbi longa duratio et ipsorum ulcerum indoles de natura eorum jam satis docent; sunt enim haec pallida et flaccida, nec pus secermentia, sed saniem lymphae non absimilem, limpidam, aquosam et acrem, vel pus quasi caseatum, margines

a) Hufel. l. c. p. 274.

habent tumidos et callosos a). Talia et imo can-
crosae indolis ulcera remedio nostro cessisse con-
stat. Pie colendus praeceptor meus clar. Prof. M.
J. Mudroff amplissima praxi sua Mosquensi, lau-
des huic tribuit, confirmat. Equidem in sponte
exortis ulceribus in regione subclaviculari dex-
trae puellae nobilis S**, aetate novem, constitutio-
nis scrophulosae, floridae, Digitalis usum opti-
mum expertus sum, dum potu theaeformi herbae
Violae tricoloris, simul in usum vocato, abextus
sequens unguentum, quovis mane linteo puro
inunctum adplicandum suasi.

R. Cerati simpl. cum oleo amygdalar. recenti pa-
rati Unc. j.

Pulveris herbae Digitalis purpureae drachm. j.
Olei lavendulae guttas quinque.

M. D. S. pro usu externo (supra indicato.)

Huic scopo et ad tumores lymphaticos resol-
vandos inserviunt, etiam cataplasmata ex herba
recenti convasata, vel ex pulvere ejusdem cum
aqua ad pultis consistentiam cocto — et unguen-
tum ex succo recenti herbae cum axungia para-
tum. Hujus ultimi effectum notabilem pariter
observare mihi licuit in tumore colli lateris dex-
tri, per annos duos inveterato, apud nobilem
matronam D****, quae tamen cum alia remedia
interna respiceret, neque in hoc adhibendo perse-
veraret, effectus incompletus mansit.

a) Conf. Frieder. Hildebrandt. Institutiones chirur-
gicae Mosquae. 1819. pag. 200.

b) *Usus Digitalis purpureae in Phthisi.*

Hujusce dirissimi morbi, illi tantum speciei,
quae habitui scrophuloso propria est a) et tuber-
culosa dicitur, tanquam bonum remedium pro-
phylacticum vel palliativum opponitur Digitalis.
Sic specifica virtus ejus, impetum sanguinis mo-
derandi, cum optimo successu ad mitiganda hor-
ribilia symptomata, dolores nimirum pectoris
lancinantes cum haemoptysi in matrona phthisica
me praesente in usum vocata fuit.

Phthisis tuberculosa paulatim sese evolvens,
constat secundum verosimillimam, atque hucusque
optimam explicationem clar. Laennek b) in per-
versa vegetatione telae cellularis pulmonum atque
generatione sic dictorum tuberculorum, quae ab
initio vix grana papaverina vel cannabina adae-
quant, progressu temporis vero et volumine au-
gentur et pellucida, caseata evadunt, atque sen-
sim in suppurationem abeunt. Ab initio tussim
excitant siccam (phthisicam), quae dein tuberculis
emollitis, humida evadit et materies tuberculorum
suppuratorum viam sibi in tracheam quaerit ac
cum sputis ejicitur. Tali modo a natura ipsa
phthisicos quandoque sanari, autopsiae docuerunt
non paucae, si nova tuberculorum generatio prae-
caveatur c), quem ad finem arte attingendum plu-

a) Haase über die Erkenntnis und Cur der chroni-
schen Krankheiten des menschlichen Organismus,
Leipz. 1820, III. Band, S. 107 — 112.

b) Laennek Traité de l'auscultation mediate et de
maladies des poutons et du coeur, 2 edit.
Paris 1826. Tom. I. pag. 703 etc. c) ibid. p. 705.

rima remedia rationaliter adhibentur et in hoc numero, Digitali p. quoque locus non denegatur. Revera haec ut solvens ac derivans justo tempore adhibita, (tuberculorum regenerationem praecavendo, ea, quae supersunt, dissolvendo.) magnum sane levamen praestat- imo radicatus morbum tollere visa est. a) Pariter salutiferus Digitalis p. usus in catarrho pulmonum chronico, qui saepe saepius sub nomine phthiseos verae curatur, quo casu tanquam medicamentum solvens et absorbens agit, quippe quod specialiter in membranas pulmonum mucosam et serosam agere censetur. b)

Sub usu remedi hujus in Phthisi eadem jam supra expositae regulae generales observentur necesse est, scilicet, ne solo huic remedio exclusive tota fiducia tribuatur, neque continuo aut unum idemque praeparatum porrigatur. Hoc ultimo respectu memorare debeo immerito tincturam Digitalis purpureae peculiare sibi laudes in sananda Phthisi adeptam esse et reliquis ejus praeparatis anteponi. Ob particulas spirituosas eam nocivam potius in hoc morbo declarare non dubito, in quo incitabilitas per se jam vix sedari potest; equidem suaderem potius lene infusum herbae D. p., pilulas supra indicatas, imo ipsum pulverem sub cautelis necessariis.

a) Naumann in Hufel. Journ. der practisch. Heilkunde Jahrg. 1828. Stück I. Seite 52. Cum grano salis tamen hoc intelligendum est, non eo argumento adhibito: „post hoc, ergo propter hoc.“

b) Vogt lib. citat. pars II. pag. 188.

Quum tamen specialiter omnes curae circumstantias exponere e supra dicta ratione inutile ducam, hic loci tantum Consilii clar. Begin lectorem esse memorem volo, qui nimirum, debilitate ventriculi, usum remedii interni non admittente, tincturam Digitalis purp. regioni praecordiorum abextus infricandam suadet a). Suas laudes etiam meretur externus usus unguenti D. p. cum mercurio praecipitato rubro juncti (drachm. j ad unguenti unc. j.) derivandi sine, ut eruptionem artificialem excitet a D. Kopp. — adhibitus. b)

c) De usu Digitalis purpurea in hydropo.

Nullum sane ita promeritis laudibus unquam efferebatur remedium in curando hydropo, quam Digitalis purpurea, ita ut experientissimi in arte medica viri regulam statuerint — nullam hydropis speciem ac singulos casus pro insanabilibus declaranda esse, donec Digitalis vires in usum vocatae nondum fuerint. Plurima certe post se relinquit medicamenta hydragoga, ne Squilla quidem excepta, cum haec nimia virtute acri et irritante pollens, non nisi maximo atoniae gradui adaequari possit. c)

Etiamsi omnes hydropum species a laesa harmonia inter exhalationem et absorptionem pro-

a) Begin. lib. cit. tom II. pag. 710.

b) Vogt lib. cit. pars II. pag. 200.

c) Sundelin lib. cit. pag. 510.

veniant a), tamen propter diversitatem causarum secundarium, diversitas remedium quoque necessario postulatur b) unde patet Digitalem non in quavis specie promiscue indicari. Theoria experientiaque docent, illas tantum hydropis species quae ab irregulari sanguinis motu, ab infarctu vel praegressa inflammatione viscerum, a retropulsa per refrigerium perspiratione cutanea et aucta exinde exhalatione vasorum in cavitates splanchnicas vel in telam cellularem musculorum hiantium, originem ducunt, Digitalis usum salutarem esse, eamque vix unquam plane bonum effectum denegare. Itaque:

1) in omnibus speciebus hydrocephali externi.

2) in hydrocephalo infantum interno tum acuto, in stadio exsudationis dicto (sic dictae encephalitis exsudativae) c) tum et in chronico — praecipue inaequalitate pulsus et cordis motu irregulari observatis. d)

3) in hydrothorace — peripneumoniam praegressam vel cordis, pericardii vel mediastini inflammationem pro causa agnoscente, praemissis praemittendis, ut venaesectione etc. Digitalis ut levius diureticum est remedium optimum. e)

a) Portal — Observations sur la nature et le traitement de l'hydropisie 11 vol. in 8 Paris 1824. Vid. Vol. 1. pag. 355 et 443 etc.

b) Portal. l. c. p. 363.

c) Begin l. c. p. 780.

d) Portal, l. c. vol. 11. p. 52.

e) idem vol. 1. p. 64. — vol 11. p. 140.

4) in ascitide in quo viscerum abdominalium vicia praecipue chronica et canalis digestivi torpor, Digitalis praeparata fortiora imo alia magis activa et irritantia diuretica adhibenda sunt, prout Squilla, Aloë etc.

5) in hydrope intercute cujus variae formae oedematis et leucophlegmatiae sub nomine veniunt et cujus analogum etiam hydrops anasarca est, praeter usum internum remedii nostri per se et cum aliis congruis mixti, etiam usum externum tincturae ejus vel et unguenti sancivit experientia, ea conditione tamen si absorbens systema cutaneum non aliquo morbo eruptivo, ut variolis, laesum fuerit. a)

De usu Digitalis externo et in aliis hydropum formis, monendum est — in praecavendo hydrocephalo ad eruptionem artificialem provocandam supra memoratum unguentum Koppii — collo infricatum optimo successu respondisse b); quod et de hepatis tumore hydropicam praedispositionem augente valet. In hydropibus reproductivis, torpidis, asthenicis et phlegmaticis a cl. Tscharkowsky denominatis c) sequens unguentum cum fructu adhiberi potest:

Re. Radicis Squillae tenuissime pulverisatae.
drachm. jj.

Pulveris herbae Digitalis purpureae drechm. j

a) Portal lib. cit. Vol. 11. p. 15.

b) Bischoff, l. c. Vol. 11 pag. 155.

c) Vide ejus Dissertat. inaugural. de Hydrope in genere Petropoli 1825 pag. 36.

Axtingiae porci uncias duas.

Fellis Tauri inspissati unciam j.

Spiritus Serpilli drachmam j.

M. D. S. omni mane et vespere ad drachmas duas infricandum unguentum.

NB. Vix monitu indiget medicus rationalis post talem inunctionem factam, horis duabus vel tribus elapsis, lavationem partium inunctarum - ut pori cutanei aperiantur, esse necessariam, post quam lavationem equidem abstersionem cum tinctura Digitalis spiritiuosa parum calefacta suaderem.

d) Usus Digitalis p. in morbis organorum sanguinis circulationi dicatorum.

Ex agendi ratione, quam in corpus animale ostendit Digitalis, purp, eam certe Panaceam hujusce classis morborum diceremus, si non tanta copia eorum mortales a primo ortu urgerentur et si plurimi reliqui morbi cordis et vasorum majorum organici curam radicalem admitterent. Etenim pro specifico quidem contra hos morbos a viro magni in medicina nominis indubitate declaratum a) remedium nostrum nonnisi palliativae curae inservit.

Maxime laudatur D. p. in dilatationibus cordis et aortae thoracicae, nec non in ipso aortae

a) Fr. L. Kreysig, die Krankheiten des Herzens etc. Berlin, III. Theile in 8. 1814 - 1817. vide 11. Th. 2. Abth. S. 716.

aneurismate saccato, imo in ossificationibus tum parietum tum valvularum cordis. a) Salutaris haec Digitalis actio testantibus Burnsiob) Ferrario c) et Hufelandio d) tam manifesta, confitente docto Burnsiio - inexplicabilis e), docente celeb. Kreysig f) excitans, roborans, tonum augens est, qua autem ratione vix expliceretur effectus ejus, testante ipso celeb. auctore jam 24 horis elapsis sese clare pronuncians! Argumentum ejus contra narcoticam Digitalis actionem ex defectu in eadem principii volatilis vix sufficiens est, quum hoc nec in remedio per excellentiam narcotico opio nimirum repertum sit. Nonne validam ejus actionem in systematis circulationis perifericum extremum admittendo feliciores in omnium dubiorum explicatione erimus, ubi quasi revulsivus effectus certam harmoniam inter duo extrema et eo ipso, abacto statu irritationis, — energiam vel robur naturale centro circulationis restituit!

Practicam autem experientissimi viri de adhibenda Digitali doctrinam utpote optimam, totidem verbis hic transferre juvabit: „Digitalis nec

p.
ba.

- a) Kreysig l. c. p. 717 et 719.
 b) Burns A. von einigen der wichtigsten und häufigsten Herzkrankheiten a. d. Engl. Lemgo 1813. 8. p. 66.
 c) Ferriar's J. Bemerkungen über Wassersucht, Wasserscheu und s. f. a. d. Engl. Lpz. 1792 — 1797. 2 Theile.
 d) Journal der praktischen Heilkunde 18. Band. 3. Stück, S. 86.
 e) Burns l. c. p. 298.
 f) l. c. p. 721 et 742.

„in magnis dosibus, nec brevibus temporis inter-
 „vallis intercalatis praebenda es. Granum unum
 „ad duo pulveris, guttae decem ad triginta tinctu-
 „rae, quae forma maxima vi gaudet, ad granum
 „dimidium extracti aquosi, ad cochlear mensale
 „decocti (e drachma herbae cum uncis octo aquae
 „parati ad uncias quatuor colaturae.) sunt doses
 „adaequae agentes. Talis dosis ab initio ter,
 „quater de die, dein rebus in statum meliorem
 „reductis, bis de die repetenda, sufficit.“

„Intime persuasus sum, - pergit auctor celeberrimus,
 „nimis et nocivos effectus — ut vomitum,
 „oculorum obnubilationem, a dosibus tantum
 „justo fortioribus, vel temporis ratione male ob-
 „servata, exoriri.“

„In organicis itaque cordis vitiis — usus hu-
 „jus remedii hic videtur esse optimus: ut appa-
 „rentibus periodicis morbi invasionibus suffocati-
 „vis, imo et maturius, quam propinquitas eorum
 „animadversa fuerit, per unam vel duas hebdo-
 „mades vel eo usque continuo exhibeatur donec
 „symptomata plane evanuerint, et quidem sensim
 „dosim numerum minuendo, tandem cessando.
 „Atque iterum symptomatibus imminetibus denuo
 „et ejus usum confugiendum est, porro incipi-
 „ente etiam aquarum cumulatione, quae sub ul-
 „teriori morbi decursu, fere nunquam deest, pari
 „modo Digitalis exhibenda est.“

„Administrari potest Digitalis vel per se et
 „absque additione ullius ali remedii vel aliis con-
 „gruis mixta, postulantibus hoc circumstantiis.“
 Semet ipsum libenter decoctum herbae in con-
 nubio cum extractis amaris exhibere dicit vel cum
 valeriana, ventriculi debilitate vel corporis nervea

constitutione hoc necessarium reddentibus, vel
 cum aqua aliqua aromatica, vel denique cum al-
 vum leviter ducentibus, ubi fieri debet, etc.

Haec fere sunt, quae de Digitali purpurea
 monenda esse putavi. Liquet jam satis, eam
 praetiosissimum esse remedium praecipue ad mor-
 bos a circulationis humorum systemate pendentes.
 Adeoque usum ejus tam in morbis ipsorum huic
 gravissimae functioni dicatorum organorum, tum
 et in scrophuloso morbo, Phthisi et hydropibus
 consideravi. Superest ut paucis moneam de sedan-
 dis nocivis ejus effectibus, qui ex minus cauto
 usu nasci solent; huic fini inserviunt aromatica,
 vinosa et amara, in primis commendantur acida
 vegetabilia: acetum, acidum citri, etiam lac
 dulce cum infuso seminum foenu graeci, modi-
 cae doses opii, vesicatorium.

T H E S E S.

I.

Methodus naturalis in Botanica pium desiderium
est et erit.

II

Actio Digitalis purpureae derivans praecipua est.

III.

Tinctura Digitalis purpureae non nisi in morbis
apyreticis interne porrigenda.

IV.

Acrimonia humorum immerito repugnatur.

V.

In morbis febrilibus cura expectativa pessima.

VI.

Crises spontaneae nunquam otiose expectandae.

VII.

Medicus theoreticus, praxi destitutus, plus valet
quam practicus absque theoria.